

N. B. 14 b.

20 Kirschapfeln

Ringeln aufgen.

Von der Wiese

PK (14) (15)

Wächst weiter

Von Frühjahr, nach PK, D



JACOBI FABRICII

Profess. Pub. in Academ.
Rostochiana.

Παραμύθια

AD

generosum & magnificum virum;

DN. FRITZE

von dem Berge /

DUCATVS LUNEBVRGICI
CONSILIARIUM, TOPARCHAM

Blekedensem, & in Gümptze, Gartz ac Lindhorst
hereditarium, &c.

Conjugis suæ dilectissimæ obitum,
acerbissimè lugentem.




N 196 (1)

ROSTOCHII ANNO M. DC. XIV.



SENECA.

NEMO SCIT NOSTRUM, QUAM PROPE VER-
SETUR DEUS. SIC ITAQUE FORMEMUS
ANIMUM, TAMQUAM AD EXTREMA VEN-
TUM SIT. VENIENTEM NEMO HILARIS
MORTEM RECIPIT, NISI QUI SE AD IL-
LAM DIU COMPOSUERIT.



1520CHII. 1520CHII. 1520CHII.

Elegia consolatoria.

UT pavet, exsanguique metū pallore fatetur,
& trepidum gelido frigore pectus habet,
si quis in incultis agitavit montibus ævum
semper, agens patrios sub juga curva bo-
exin vicinam subitò pertractus in urbem (ves,

cogatur rigidi Præsidis ora pati,
ac coram alternas audire, & reddere linguis;

quæ pugnent vitæ cum ratione suæ :

Cor mihi non aliter sub pectore palpitat arcto,

oraq; sunt buxo pallida nostra magis,

quando ad desvetos pridem remcare labores,

metraq; disparibus texere cœpto modis.

atque adeò ex tristi deducere pectore conor,

unica BERGIA DUM gloria & una domus,

quæ tibi jam presso curis solatia dicant,

teque yetent totos illacrumare dics.

Sæpe reluctantem virtus tua gnaviter ursit.,

non semel ignavas increpuitque moras,
qvum dicenda mihi quæ primò nescius essem.

an genus augustum, munera an ingenij?

& meritò : Quis enim tua non prece numina ado-

quis de te multos nolit habere sonos? (ret?

aut aveat veras haurire & reddere voces

de te, deque tuâ candidiore fide?

Sic ubi fecundâ reparavit morte juventam,

Phœnix, ac vacuum nunc per inane volat.,

conveniunt aquilæ, cunctæq; ex orbe volucres,

Solis ayeisque novo linguae honore colunt.,

A 2

Et



& circa reducem ludunt clangentibus alis
cantu mulcentes aëra svavisono:
Non aliter, fessos quæ gurgite Phœbus Ibero
tingit equos, & quæ manè reducit eos,
quæque dies medius flagranti purpurat æstu,
& quæ bruma gelu detriore riget,
punicis invecta rotis, rutâq; revincta
Fama caput, te fert cuncta per ora virum.
Quæ certè ut meditor, pro versibus egrio fletus,
carmen & in lacrumas diffuit omne meras,
dum fera Mors nullâ satiata libidine sævit,
Eurydicenque tuam sub sua jura vocat,
sicque duo bene juncta fide, furibunda resolvit,
corpora, quæ potius non soluisse foret.
O metamorphosin subitam! ô immitia Fata!
O plusquam brutæ tela trisulca necis!
Heu mihi quæm gracili pendent mortalia filo,
momentoq; levi, quæ valuere, labant!
Quid laus, fama, decus, genus, & quid copia rerum?
queis faciles melius nîl tribuere Dii:
Quippe bonis bona sunt, quin sæpè & causa bono
possessæ res sunt perniciosa malis: (rum)
Manca videtur enim virtus sine divite censu,
ac, veluti qvum post nubila Luna latet,
exserere incassum pugnat se in luminis oras,
nec quidquam cupiens magni, ubi præstet, ha
Nil valuere tamen contra superantia Fata, (bet)
serius aut citius mors sua quemque manet.
Natus humo fit humus, primoque recepta sub ortu
Naturæ repetit semina quisque suæ:

Nascimur



Nascimur in lacrumis, lacrumis lacrumabile tempus
ducimus, in lacrumis vitaq; nostra perit;
Hanc sed inæquali percurrimus intervallo,
communi quamvis lege modoq;, viam:
Nascitur hic, properamq; animam singultat codē,
qualis Ephemeridum vita caduca, die:
Hic puer, hic infans viridi præmortuus ævo
septa juventutis transiliisse nequit;
Hunc juvenem citò deflorat, multisq; frequenter
longa senectutis gaudia adesse negat:
Tantà mors rabie nostrum grassatur in ævum;
quis sibi qui scenium pollicatur erit?
Ut gravido imbre tumens momentò bulla liquefcit,
& rapidum rapido flumine flumen abit,
Ut sonus & somnus, fumiq; cita aufugit umbra,
frangitur aut Veneti fulgida massa vitri.
O vitam fragilem! O volucrem pernicibus alis!
stamina fatalis O properata coli.
Inunc, egregios & tecum finge triumphos,
qui flores hodie, cras modò vermis eris.
Claudimus hîc miseram, sed cum spe divite, vitam,
quæ nos in mediâ morte timere vetat:
Nunc exsangue quidem corpus deponitur urnâ,
quam recipit fido terra sequestra sinu,
sed mox hora venit, qvum Christi sangvine loti
æternæ rursus lucis honore cluent.
Æra cavis terræ qvum sunt effossa latebris
accensis dantur ritè coquenda focis,
ac simul ignito fuerint liquefacta calore
protenus effusi fluminis instar cunt;

A 3

Sie




Sic excita cavis putrefacta cadavera bustis
adsument vivum nobilitata decus:
Tergitur à veteri tabo, carieque situque,
dùm nostra in cineres massa redacta fluit.
Nemo unquam æternæ penetraret gaudia vita,
esset ab impurâ ni caro terfa luce:
Taliter informes nisi lamberet ursa catellos,
non vivum exsangui carne crearet opus.
Corpora nam morti similis tenet algida torpor,
in quæ depulso frigore vita venit,
& vicijs purgata suis nova massa resurgit,
atque redit vita, qui fuit ante, vigor,
quæque prius gelido jacuit tumulata sepulcro,
exuvio rursus vivet amicta novo,
hic ubi perpetuæ surgunt nova regna salutis,
ac fruitur voto spes animosa suo.
Hoc addat tristi felicia pharmaca cordi,
& desiderium leniat omne tuum,
teque tua moveat nihil è statione, tumultus
ut sortis temnas, Mortis & ingluviem.
Sic valido annosam Boreæ quum robore quercum
inter se certant funditus cruere,
ipsa hæret scopulis, tantum radicibus imis
figitur, & quantum tollit ad astra caput.
Non cadit in terram vilis vel passer oberrans
sorte, sed eveniunt cuncta jubente Deo.
Ille probat primo pavidas examine mentes,
optatamque simul fert miseratus opem.
Sicut enim silicum venis excuditur ignis,
& Deus exsculpit per mala sæpe bonum;

Si.



Sicut nulla dies tam densis turbida nimbis,
tandem intermissis quin fluat imber aquis:
Sic nosti, haut saltim poenas immittere Joyam,
verum illas justo tempore disjcere:
Nosti sic fidei tenues coalescere ramos,
nativa atq; auctis robora habere comis,
& quid non nosti? Tibi qui solatia dicit,,
Triptolemo fruges, poma dat Alcinoo.
Ergo o BERGIA D U M prælustris & unica gemma,
magne vir, Heroum nobile delicium,
ne cedas oneri, vires sacra Flaminis aura,
subdet, ut infractus per mala victor eas;
Nec periisse putas corpus, sed dormit, & in spe
vivit ad extremum svaviter usq; diem:
Tunc iterum jungeris ei, simul atq; videbis
gaudia non ullo quæ moritura die,
qualia non oculis quisquam, non auribus hausit,
qualia non acies pectoris ipsa capit.
Definito ergo tuis lacrimis offendere cœlum,
in tali est certus nam pietate modus,
quin tu dum luges æternâ sede receptam,
non obscurè ejus commoditate doles.
Vivida in afflictis perstat Patientia rebus;
o quantum est uni posse silere Deo!



Universitätsbibliothek
Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-709017-p0010-5







Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-709017-p0011-1

DFG



Farbkarte #13



B.I.G.

JACOBI FABRICII

Profess. Pub. in Academ.
Rostochiana.

Παραμύθιον

AD

generosum & magnificum virum,

DN. FRITZE

von dem Berge /

DUCATVS LUNEBVRGICI
CONSILARIUM, TOPARCHAM

Blekedensem, & in Gümptze, Gartz ac Lindhorst
hereditarium, &c.

Conjugis suæ dilectissimæ obitum,
acerbissimè lugentem.



M 196 (K)

ROSTOCHII ANNO M. DC. XIV.

